



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Illustrissimo Reverendissimo ac Gratiioso Domino, D. Benedicto Dei Gratia  
Sac. Rom. Imperii Liberarum & Exemptarum Ecclesiarum Werdinensis ac  
Helmstadiensis Ordinis sancti Benedicti Abatti Collegii ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

*Illusterrima Reverendissimo ac Gratiōſo  
Domino,*

**D. BENEDICTO**

Dei Gratia Sac. Rom. Imperii Liberarum &  
Exemptarum Ecclesiarum Werdinensis ac Helmstadiensis  
Ordinis sancti Benedicti

**ABBATI**

Collegii Prælatorum inferioris Rheni in

Comitiis Imperii

**DIRECTORI PERPETUO**

&c. &c.

*Illusterrime Reverendissime,  
as Gratiissime Domine &c.*



**Uod olim Aristides Rhetor Orat.**

*sacrор. Serm. 5. dixit, Superis tempла, Viris  
summis libros dedicare oportet: id passim à  
multis retro sacerulis usitatum, in comper-  
to est; atque etiamnum in more positum  
videmus, ut si quispiam publicæ utilitatis causâ suas evulga-*

X 2

re

te velit lucubrationes, illas primi subsellii cuidam vir o nuncupet, quatenus eadem multorum crisi necessario subeuntes Patrono ac Mæcenate non destituantur. Cum itaque has ego Controversias Ecclesiastico - Historicas in mundum litterarium mittere statuissim , nec dubitandum mihi nec cunctandum , cuius tutelæ impresas concrederem , quin TV ILLVSTRISSIME PRÆSVL , istarum rerum appri-  
me gnarus prima facie mihi occurrens præ cæteris visus fue-  
ris magnanimus elaborati operis hyperaspistes , cuius vali-  
dum patrocinium decori pariter ipsi eslet futurum. Qui hu-  
manarum quondam PROFESSOR , juxta ac divinarum  
eximius Cultor scientiarum tot exquisitæ eruditionis paradig-  
mata, tantaque PRÆPOSITVS HELMSTADIENSIS ex-  
hibuisti moderati, nec non profici regiminis specimina , ut  
convenientibus admodum TVÆ nobilissimæ Stirpi decora-  
tus præcellentibus gratiæ ac naturæ donis, Mitræ adaptatus,  
dignissimus præ cunctis sis habitus , qui comuni suffragio ,  
omniumque applausu , in Sacri Romani Imperii Abbatem,  
ac utriusque Exemptæ Ecclesiæ Achimandritam constitue-  
reri : cuius faustæ electionis fructus uberes singulari cum  
gaudio , nunc gustant , qui TE PATREM amantissimum  
Ascetæ, ARCHIARIVM benignissimum Territorii Incolæ,  
DIRECTOREM prudentissimum in Comitiis Imperii sen-  
tiunt Collegæ : dum à cunctis capacis animi TVI per omnia  
domestica æque ac forensia tuorum officia , œconomiam  
ac rerum agendarum diffusi amplitudo probè conspicitur,  
quo ita complecteris utrobique spectantia , ut ipsis met in  
propria

propria persona adesse videaris , ideoque advigilantis Heri  
oculos Religiosi , Officiales , Ministri , operum Curatores ,  
imo famulantes mirentur omnes , ubique venerentur singuli ,  
tam in servitio solliciti , quām offendere metuentes . Vbi ta-  
men inter tuos Authoritate sic emines , ut insigni humanitatis  
condimento , par TIBI subjectis videri posses , absque eo ,  
quod gravitas fastidium pareat , aut in familiari conversatio-  
ne , observatā exactē eutrapeliā ; comitas generet contemptum .

Excurrerem hic lubens in apertum laudum TVARVM  
campum , nī vererer adulacionis notam , non minus ac TVÆ  
modestiæ ad præconia erubescens offensam . Alienæ neuti-  
quam indiges testificatione , quando ubertim sufficiunt TVA  
ab intelligentia , æquitate , religione , cultū divini amore , de-  
votionis ardore ac disciplinæ regularis zelo petita testimonia ;  
quæ singula percensere TIBI utique magis quām mihi mo-  
lestum foret . Timanthem ergo potius imitando , silentii velo  
hujusmodi tegam , quām ut incepto eadem meo adumbrare  
peniculo præsumam .

Supervacaneum quoque foret avitum Stemma TVVM  
GEISMARIVM hīc deprædicare , quod inter antiquissimas  
& spectatissimas in Hassia & Thuringia recenserī Familias per-  
hibet Clariss . Jacob . Christoph . Iselin in suo prægrandi Lexico  
*Tom. II, pag. 458. col. 2. V. Geismar.* subditque Conradum  
à GEISMAR Anno 1139. ab Archi-Episcopo Moguntino A-  
dalberto in testem adhibitum confirmatæ Donationis , alias  
Ecclesiæ Cattlenburgensi factæ . Alium insuper ejusdem Pro-  
sapiæ Anno 1152. in Instrumento fundationis monasterii Val-

lis S. Gregorii in Thuringia adducit. Anno 1291. apud cit. Auth.  
Bertholdus à GEISMAR , hujusque fratres ab Archi-Episcopo  
Moguntino consenatum obtinuerunt prædia sua in Zottenstat  
vendendi Ecclesiæ in Huisdorff. Referunt etiam Gotha  
*Diplom. Part. III. pag. 247.* Leuckfelt. *Antiquit. Walckenried*  
*Cap. 13.* Mullerus *Annal Saxon.* Spangenberg *Adelspieg:* P. II.  
viros ex perillustri Progenie GEISMARENSI togâ , & lago  
conspicuos : quorum meminisse, ut reor necesse non erit.  
Siquidem Gentilitia Nobilitas, apud Boethium *Lib. 3. prof. de*  
*consolat. Philos.* Est quædam laus veniens de meritis parentum,  
Quæ , ut absque virtute est fucosa & fumosa : sic præclaræ  
cujusvis familiæ columen unicum est virtus , secundum illud  
Juvenalis Satyr. 8.

*Tota licet Veteres exornent undique Cera  
Atria , nobilitas sola est atque unica virtus.*

Ob cujus sedulum cultum esto Generosos Majores tuos  
à Regibus & Principibus in seram usque posteritatem egre-  
giis semper honoribus cumulatos fuisse in aprico sit: equi-  
dem TV splendidum decus non tam à TVIS accepisse Pro-  
genitoribus quam iisdem contulisse censeris. Tantum abest,  
ut sit TIBI laus in Origine sola.

Quodsi itaque Illustrissime Domine PRÆLATE per-  
mittere gratiosè digneris , ut sub præpollentis Nominis TVI  
auspiciis qualiscunque foetus ille meus prodeat ; qui , si non  
Dignitati TVÆ congruens , saltem à TVI studiosissimo ac  
observantissimo TIBI inscriptus , dicatus & consecratus :  
si, inquam pro TVA in omnes benevolentia; sereno vultu ,  
quod

quod unicè precor , suscepis oblatum devotè libellum , cu-  
jus subinde gravioribus solutus negotiis lectione animum re-  
creare possis ; jam morosa arbitria acuratissimum TVVM  
unius judicium & Authoritas facilè elevabit : quo , qualium-  
cunque Criticorum mihi polliceri audebo , vel sinistram con-  
temnere posse existimationem vel sperare favorem .

Summa deinceps Votorum meorum erit , ut TV  
Illustrissime Antistes privato simul ac publico bono diutissi-  
mè sospes vivere pergas : atque nonnisi post decumanum  
meritorum cumulum serus sis conviva Tonantis

*Illustriſſimæ , Reverendissimæ  
ac Gratiōſæ Dignitatis Tuæ*

Humilius ac obſequentiſſimus  
famulus  
**G E R A R D U S C A S T E E L**  
Can. Ord. S. Crucis P. D.

Dabam ex muſeo Duisburg.  
27. Iulii Anno 1733.

X X

LICEN-